

vis successibus maximarum rerum momenta vertantur, quæ nullis humanæ prudentiæ viribus anticipari queunt: veteres Respublicas, quæ rerum gestarum gloria floruerant, bella ingenti cum virtute gesserant, ducibus summam administrandi belli permisisse; Romanos sæpius ea verba adjecisse: Viderent, ne quid Respublica detrimenti caperet; quibus in omnes casus intentos, ac providos duces facerent. Senatum perraro imperatoriam auctoritatem arctius adstringere solitum; cum fecisset, haud parva incommoda expertum: neque id temporum conditionem exposcere: commeatum asportatione adversus fœderis condiciones a sociis interclusa, ut si classis nostra Turcicam insequeretur, annona fortasse laborandum esset; præeuntem ex urbe, atque aliis locis illi commeatus subministrari posse.

Contra dicebatur: magni referre, utrum in sinu Adriatico, an extra classis commoraretur, idque in earum rerum numero esse, quæ Senatusconsulto decernendæ essent; nec ex eo quidpiam de imperatoris auctoritate imminui: an vero hoc illi permittendum, quo potissimum imperii incolumitas niteretur? nam si antevertere hostes vellet, quonam illi tutus, nisi in hec æstuaria, receptus esset? ubi navales turmæ domus invisendæ cupiditate, triremes defererent, reliqui commeatu insumendo urbem obsiderent; tot sumptus inutili desidia tererentur; cum parvis navigiis, non longis navibus, ob locorum situm, opus esset? Illyrici quin etiam, ac reliquos orientis populos, classe, unico belli præsidio, absente, animum desponsuros, hostis potentia perterrefactos, suis rebus consulturos: huc accedere, quod nostris in sinum Adriaticum se recipientibus, omnis de sociandis maritimis fœderatorum viribus spes abjiceretur, quo nihil vel ad potentiæ opinionem augendam, qua maxime bella administrantur, vel ad hostium impetus frangendos præstabilius effici posset: neque commeatum inopiam pertimescendam, cum ex Creta, & Cypro ingens copia suppeditari possit; ac vix credibile esse, ut Cæsareani ex Iapigia, & Campania annonam ad classem sublevandam comportari non sinerent. Quid vero ex ceteris rebus publicis peti exempla; cum illud constet, sæpius latissimam imperatorum dignitatem quibusdam veluti limitibus fuisse circumscriptam? sæpius nimia ducum au-